

geschlagen und wir dürfen hoffen, dass die Schule St. Benedict's dort in nicht langer Zeit, wie seither immer, Heilige und Gelehrte in grosser Zahl hervorbringen wird. Das gebe Gott!

Maredsous.

P. B. W.

## Vitae Excellentium Monachorum

Ordinis SS. P. N. Benedicti

Nuper ad Episcopales Infulas Promotorum.

Votis fere omnium sociorum nostrorum satisfacturi, hasce Prælatorum ex nostro Ordine ad regimen Ecclesiarum assumptorum Biographias edere incipiemus, initium ducentes ab illis, qui maiorem sui nominis famam excitarunt, partam non minus virtute quam bene gestis.

### De Guilelmo Sanfelicio ex Congregatione Casinensi

S. R. E. Presbytero Cardinale Archipraesule Neapolitano.

Neapolitano Patricioque Ducum Aquaevellae sanguine ortus est Guilelmus Sanfelicius, die octava aprilis anni millesimi octingentesimi trigesimi quarti, in civitate Aversae, ubi tunc familia eius morabatur, et episcopalem cathedram administrabat Franciscus Xaverius Durini, penultimus extinctae Congregationis Benedictino-Caelestinae alumnus.

Parentes nactus est christiana pietate perspicuus, Matrem praesertim, quam ipse tanto est religioso amore complexus, ut inter primos Archipraesulatus initi actus esse voluerit, coemeterium suburbii, Portici vulgo dicti, adire et Hostiam Eucharisticam ad defunctae Genitricis tumulum perlitare.

Adolescens optimis moribus imbutus clericali militiae nomen dedit, affatim gestiente tunc temporis Cardinale Archiepiscopo Neapolitano; quippe qui summopere delectabatur inter sui cleri membra iuvenes nobili stirpe genitos annumerare, unde Collegium Canonorum Ecclesiae Metropolitanae nobilibus ecclesiasticis unice componeret. At aliter Deo, nostroque Guilelmo visum est. Hunc enim statim saeculi taedere coepit, utque arctius se Numini ad maiora vocanti coniungeret, ad Abbatiam SS. Trinitatis Cavae Thyrrenorum convolvavit.

Abbatia haec inter ceteras universi Ordinis S. Benedicti apprime conspicua, S. Alpherio primo Abbate, ex Normannorum Principe, gloriatur conditore, pluribusque alumnis sanctitate et doctrina praestantibus, et Beato Urbano II praeter alios; qui ad supremi Pontificatus apicem evectus, Basilicam Cavensem sacravit, privilegiisque innumeris singularibusque eam et Abbatem cumulavit. Quondam Congregationis Benedictino-Cavensis mater et caput centum quinquaginta monasteriis moderabatur. Post clades, saeculo nostro incipiente ubique locorum Europae patratas, Congregationi Casinensi adhaesit.

Jurisdictione Ordinaria adhuc gaudet, sed in urbes et oppida huc illuc dispersita, nulloque modo Cathedrali Ecclesiae cohaerentia. Et licet hodie ad minimam monachorum manum redacta, unica tamen inter Benedictinae Familiae propagines fulget gloria, tres ex suis genuisse Episcopos, duosque Archiepiscopos; quorum unus Australiae populis Apostolus et primus Pastor animarum et urbium fundator, alter inter Purpuratorum Patrum Senatum adlectus.

Hic est Guilelmus, qui ad tantum honoris fastigium merito a Deo videtur evector ob illam ipsam animi demissionem, qua ratus fuerat caducum illecebrarum saeculi splendorem fugere. Tyrocinio rite exacto, in studia tanto nisu incubuit, ut utriusque iuris lauream Romae cum laude sit adeptus, Dioecesi Cavensi vicaria potestate praefectus, et Decani titulo in universa Congregatione Casinensi auctus. At inter ceteras disciplinas tum sacras tum profanas Jus Canonicum illi cordi erat, opusque *Fundamenta Juris Canonici* inscriptum tribus libris concinnavit, quod non ultima extitit causa, qua ad infulas promoveretur.

Mortuo enim postremo Archiepiscopo Neapolitano, series viginti quatuor presbyterorum Summi Pontificis oculis subiiciebatur, inter quos ipsi eligendus erat successor. Nam ex benigna Apostolicae Sedis indulgentia Neapolitanae Ecclesiae concessum est, ut e gremio suorum patriciorum educatur, qui cum Archipraesulis titulo regat et ad sempiterna pascua ducat. Aurae Romuleae per se minime secundae perflant monachis, ceterisque coetibus sub regulari disciplina vitam agentibus. Quomodo igitur monachus Sanfelicius sortiri potuit Archiepiscopus Neapolitanus? Ex manifesta Divinae voluntatis ordinatione, ex numerorum omnium conspiratione, qui eum reliquis candidatis antefendum esse praedicabant.

Saeculum erat ex quo Sedem Neapolitanam nullus amplius Regularium regendam susceperat, ab obitu nempe Seraphini Filangerii Casinensis, qui per Pium VI. vix Pontificem Maximum inauguratum a Panormitana Ecclesia ad Parthenopis translatus fuerat, et saecularia solemnia SS. P. N. Benedicti anno millesimo septingentesimo octogesimo celebrare potuit, Purpureo iam galero auctus. Ut eadem solemnia anno millesimo octingentesimo octogesimo sub alterius Casinensis regimine recolerentur, qui nutu dominatur cuncta supremo iussit: Leonem XIII. mora semestri a suscepto Pontificatu elegisse in Neapolitanum Antistitem Guilelmum Sanfelicium.

Huiusce autem electionis causa extitit Pontificiae deliberationi optimarum partium congeries, quae in nullo alio candidatorum eadem eminebant mensura. Vitae et famae integritas, scientia, rerum usus, benignitas, mitis animus, et super omnia facultas docendi apud scholas per civilem potestatem erudiendae iuventuti institutas; quae hisce maleferiatis temporibus dici vix potest quantum servandae pietati et fidei conferat, praesertim cum viro dignitate praecellenti et zelo

salutis animarum succenso ad manus esse possit. Quod felicissime praestitit Guilelmus noster.

Statim enim Archiepiscopali sede potitus, quatuor puerorum animis per ecclesiasticos viros educandis patere voluit; auctoritatibusque scholasticis nomen institutoris sciscitantibus, illud Archipraesulis proferebatur, nihilque in suas leges actum deprehendentes, obtorto collo elingues abibant.

Quanta vero laetitia, quibus effusis gratulationibus novus Pastor primo sit ab universo grege exceptus, nulla dicendi vis, nulla scribendi copia expediet. Ex hoc uno liceat argumentari, quod numquam hominum memoria apud nos proditum erat. Iter, quod ab Ecclesia S. Josephi Rurorum dicta ad Metropolitanam duobus conficitur momentis, impossibile fuit ante duas et amplius horas Archiepiscopo conficere, densis populorum catervis undique exundantibus, et non modo viam sed spiritum intercludentibus. Elanguit Guilelmus mox autem animi vigore resumpto ad circumfusam multitudinem fervida verba fecit.

Sed eheu! humanarum rerum vicissitudines. Sicut post Hosanna Filio David decantatis, magna facta est apud eum solitudo; ita post triumphos, quibus populus Praesuli suo plauserat, arcta huic Seminarii cella habitanda fuit, pluribusque mensibus parcissime more monachorum vita agenda. Quod ipse erecto semper animo tulit.

Horum causa erat dissidium, quod Apostolicam Sedem inter regiamque potestatem toti Italiae dominantem intercesserat. Elegerat illa Archiepiscopum sacroque simul chrismate inunxerat; ista ius sibi vindicans designandi quem alia infulis redimisset, putavit electionem ulcisci, domo et censu Archiepiscopo interdictis.

Intersit Deus, dignus erat vindice nodus. Decedente Novembri anni millesimi octingentesimi septuagesimi octavi perduellis armata manu regem invasit, et certo certius interemisset, Numine non obsistente. Resipuit discrimine rex, Antistitemque sibi de incolumitate gratulantem in gratiam accepit, et exinde cordi semper habuit. Nonnumquam peculiaris benevolentiae significationibus erga eum usus est, praeterita regni administris vitio vertens. Cum regia coniuge ad pedes Archipraesulis provolutus, instanter ab ipso benedici petiit; nec domi convenire est dedignatus, eleemosynasque pauperibus pro libitu illius elargiendos mittere.

Guilelmi nostri comitatis et affabilitatis id proprii est omnium sibi animos devincire, vel boni vel mali, vel miseri vel divitis, vel amici vel inimici, vel heterodoxi vel fidei domestici. Schismaticus quidam in mortis agone Archiepiscopi alloquio recreari efflagitavit primo et iterum; et hic Cresus censebatur divitiis et opulentia.

Neque illi defuere aliquando amaritudines, presbyteris aliquot paternam monachi virgam gratuito prosequentibus odio et incassum

detrectantibus. Mitis Praelati animus et humanitas omnia vicit, adversariosque fateri adegit: Archiepiscopum mali in hominem concipiendi incapacem.

Iam praesulatus septennio Synodum Dioecesanum celebravit, quae duobus abhinc retro saeculis numquam amplius congregata fuerat; aliamque, quam Provincialem appellat, parat ea iudicii moderatione et sapientia, quam in priore cuncti suspiciunt. Clericorum studia nova methodo amplificavit, et schola Diplomatices auxit. Cathedralis Ecclesiae faciem musivo opere decorandam suscepit.

Quomodo in publicis calamitatibus se gesserit universus orbis minime ignorat. Aëris intemperie quaedam Dioeceseos oppida inundante, praesto adfuit Archiepiscopus, miseris qua pecunia, qua amici compatiensis sermone, dulce levamen. Insula Aenaria terrae motibus fatiscente, vices Episcopi aegritudine inhabilis Metropolita agendas suscepit, huc illuc advolans, cadavera honesto funere humari, mortis faucibus minis oppressos eripere, superstitem vulneribus vel sacris linteaminibus, ceteris deficientibus, mederi non est veritus. Nuper morbo, qui Asiaticus audit, Neopolitanam provinciam depopulante, in xenodochiis versari, nullo vitae periculo territus, solemne habuit; unoque die usque quinquaginta cum morte luctantes sacro chrismate confirmare suis ipse manibus voluit. Parvi animi curionem Archiepiscopus noctu e strato surgere iussit, et secum in nosocomium impigre adlaboraturum duxit. Quodque in hisce omnibus maximi momenti est, nihil ipse magis aversatur quam iactantiam, vanumque in rebus gerendis apparatus, quo gloriosa de eo praedicentur. E contra nihilo magis studet, quam agenda occultare, et uni Deo patefacere.

Cardinalis Princeps renunciatus ita amicum affatus est: Indui purpura vel amictu atrato idem est; at Dei gratia perfrui hoc totus homo est. Accepto nuntio de sua in Archipraesulem promotione, ecclesiasticorum coetui sciscitantium, an esset monachi vestem in praelatitiam mutaturus: Vestem deseram? demiratus ipse respondit; imo mei et vestrum honori teneam: mei, quia per hanc Archiepiscopatu augeor; vestrum, quia nullus poterit vestro Archiepiscopo exprobrare ingrati animi fuisse ergo suam primaevam vivendi rationem.

Omnes virtutem sincere colentes corde gaudent in Gulielmo Sanfelicio virtutem fuisse exaltatam; eumque Pontificem Maximum futurum in universae Ecclesiae commodum, faustis ominibus, sibi adprecantur. Si Deus ipsos voti condemnet, revirescet in primis Monasticus Ordo, alteriusque Gregorii aut Urbani, alteriusque Alexandri III. sideribus suis adiuncti uberiore luce nitebit.

**De Michaelo Angelo Celesia  
Ex Congregatione Casinensi**

Cardinale Archiepiscopo Panormitano.

Michael Angelus Celesia gente Siculus, patria Panormitanus, genere nobilis, a prima pueritia non minus litteris quam pietate imbutus, Ordini nostro adolescens nomen dedit. Quam fecerat ab initio magnam expectationem sui, natu grandior implevit. S. Martini De Campis celebris Abbatia, tribus fere mille passibus procul Panormo, primo habuit alumnum: eadem ipsa, quam saeculo superiore monachus Gregorius seu Barnabas Chiaromonti coluerat, antequam sub Pii VII. nomine, Ecclesiae gubernacula tractanda susciperet.

Sacerdotio auctum, nec diu post domesticis muniis obeundis dexteritate et prudentia pollentem Congregatio Casinensis infula Abbatiali decoravit; eumque primo Abbatem Ordinarium sacri Montis Casini, indeque apud Romanam Curiam sua negotia agentem destinavit. Hisce in muneribus obeundis, rerum usu splendidius se prodente, creatur Episcopus Pactensis.

Ex tunc vita eius alia non fuisse dicenda, quum assiduum fidei tuendae studium et in Apostolicam Sedem animus obsequentissimus. Pontificiae inerrantiae, antequam dogma proclamaretur, acerrimus assertor, librum in lucem edidit, qui eum Archiepiscopatu Panormitano adauxit. In hoc gerendo amplior virtuti exercendae campus patuit. Singularis utriusque Siciliae populorum praerogativa est ardens avitae religionis amor, fervidissimusque Dei et Sanctorum cultus, quam labefactare sectae Protestanticae magistri, temporum iniuria in nostram Peninsulam advecti, arbitrati sunt, una vel altera aedicula bibliis suis praedicandis erecta. Statim ac Archiepiscopus periculum animarum sensit, ipsi profligando cunctandum non esse censuit: datis in universam Dioecesim litteris, quibus omnes christifideles monitos voluit, sibi uni servatum absolutionem eorum, qui vel ex curiositate pedem intra haereticorum coetum inferrent.

Publicis supplicationibus B. Virginis Rosario recolendo indictis, densa populorum agmina ipse ducebat, infracto animo ludibria parvae iniquorum manus perferens. Quae foenore compensavit galeri purpurei decus, ad quod nuper elatus est, licet quartum Benedictinae Familiae membrum Patrum Cardinalium senatui accederet. Faxit Deus, ne tantorum cumulus honorum, qui binis abhinc retro saeculis collegium nostrum tam copiose non amplius amplificaverat; nunc alumnorum in dies deficiente frequentia, sit lampadis collucentis hiatus extremi, eo fulgentiores, quo extinctioni, quam Numen avertat, propiores.

**De Domino Gaspare Lancia-Brolo  
Ex Congregatione Casinensi**

Archiepiscopo Monregalensi.

Huius Praelati vita in Ordine nostro acta, iure dici potest in Christo abscondita, tota quanta fuit. Nobilitate generis clarus, egregiis-

que tum animi tum ingenii dotibus pollens, iubar virtutum intra domesticos parietes diffundebat, monastica cella beatus, muniisque ultro delatis administrandis sedulus. Deus, qui ponit humiles in sublimi, voluit ut primus episcopali infula decoratus, per Leonem XIII. Pontificem Maximum noviter inauguratum, fuerit Gaspar Dominicus; ut Archiepiscopo Panormitano Michaeli Angelo Celesia in officio exercendo esset auxilio. Anno millesimo octingentesimo octogesimo Historiam Ecclesiae Siculae, decem priora nostrae Religionis saecula attingentem, edidit. Demum anno superiore, non sine peculiari Numinis ductu, datus videtur Archiepiscopus Sedi Monregalensi.

Haec est enim Metropolitana a Benedictinis fundata, et ab iisdem monachis octo saeculorum spatio culta. Unica supererat Ecclesia, cuius Collegium canonicis monachis constaret. Rebus nostrae Peninsulae a summo usque deorsum permixtis, nostri aperta vi a suis aedibus exturbati sunt, non uno neque monasterio, neque cathedrali curandae relicto. Et usque in praesens illud, quod mundi portentum censebatur, templum squalore obsitum iacet in monumentum humanae perversitatis. Ibi epopeia, ut ita dicamus, universalis pictis musivo opere sculptisque imaginibus a laquearibus ad pavementum repraesentatur, ab idea mundi archetypa in mente Dei ad usque eiusdem fatum supremum. Dominicus Gravina Abbas, et modernorum Casinensium doctrinae praestantia facile princeps, septemdecim vitae annos consumpsit, ut opus eiusmodi aere perennius cromolitographice exscriberet, ac publici iuris faceret. Utque absolvit Academiae Parisiensi obtulit, quae tantum facinus tamque improbum exantlatum laborem demirata, in hoc erupit encomium: Abbas Gravina Montemregalem illustrans, seipsum prodebat illustrem. Quique summa rerum Britannicarum potiuntur, quadraginta libellarum millia offerebant, originalia autographa comparaturi.

Nunc sperare iuvat, fore ut, Benedictino Casinensi, Archiepiscopalem cathedram tenente, qua prudentia, quoque animo miti excelleret, monachi ad propria revertentes illata resarciantur iniuria.

### De Benedicto Joseph Dusmetio Ex Congregatione Casinensi Archiepiscopo Catanense.

Scite et acute sapiens quidam honores umbrae comparabat, aliquando hominis statura proceriori, aliquando breviori. Si una virtus dignitatum fastigia decerneret, primus qui ex monachis potiora mereretur, esset Benedictus Joseph Dusmetius, hodiernus Archiepiscopus Catanensis.

Hic natus Panormi et ab adolescentia Congregationi Casinensi adlectus, nil aliud cordi habuit, quam SS. Benedicti Parentis Regulae observantiam. Cataniae S. Nicolai de Arenis magni nominis Abbatiae praefectus, paulo post ibidem cathedram Archiepiscopalem conscendere iussus est. Prioribus enim Italicarum rerum perturbationis temporibus,

tanta animarum saluti creata sunt incommoda, ut Romanae Curiae, quae ab episcopis sedibus vacantibus sufficiens primo abhorrebat, a proposito recedere visum est. Collatis itaque cum civili potestate consiliis, pactionibusque firmatis, quatuor vel quinque tantum ecclesiastici viri, utriusque partium bene visi designati sunt episcopi, in spem concordiae aliquando in posterum ineundae. Horum unus fuit Dusmetius, qui primo occursu tanta necessitudine sibi Catanensium animos devinxit, ut a plebe ad magnates nihil illis sit antiquius aequae ac suae Archiepiscopus. Nonna eius regiminis haec est. Ab hora octava matutina ad octavam vespertinam omnibus tempus sermoni poscentibus praesto esse, comitem et humanum cunctis se praebere, verbis imperativis numquam uti sed precum et obsecrationis, nulli stipem roganti denegare, calamitatibusque publicis tum propriae, tum alienae Dioeceseos sublevandis occurrere. Sufficiat dixisse: Aenariae Insulae terrae motibus disiectae usque decies larga subsidia subministrasse. Quondam ceteris proximorum inopiae arcendae deficientibus, crucem episcopalem oppignorari non erubuit.

Gregorii Magni, primi ex Benedicti Familia in Pontificem Maximum assumpti, obsoleta instauravit exempla. Sicut ille ad mortem usque socios contubernii sui monachos habuit; ita Dusmetius cum quatuor habitans monachis, monasticam vitam degit. Pectorali tantum cruce ab his discernitur, neque serico, neque laneo sed pelliceo cingulo vestem cingit. Imo pileolum violacei coloris Episcopis recens attributum ita subobscurum gestat, ut vix secerni possit. In sacris muniis obeundis, quin habitum professionis deserat, imo cucullum adiicit; maiori honori sibi ducens monachum videri quam Archiepiscopum.

Recte Catanensis quidam alienigenae obviam factus sponte aiebat: Praeter Divam Agatham concivem, hoc unum Cataniae habemus boni, Archipraesulem nostrum; nobisque hac strophe canentibus finem imponere liceat.

Sic in tumultu saeculi  
Vita fruentes accolae  
Possunt eremi consequi  
Gressus ad astra Antistites.

P. S.

De Coelestino Gangelbauer mon. Cremif. O. S. B. professo  
Cardinale Archiepiscopo Viennensi in fasciculo sequenti tracta-  
bimus. Redactio.